

altera marca grossorum arrestavit, afferens litteram domini sui de Lecz, quod idem coram eo plebano et aliis nobilibus sufficienter probaverit per iuratos et aliis simplices testes, quia Clemens Zeidlino teneretur etc., volens cum eis debitum suum proseguere ipso iure. Clemens vero constanter negavit, allegans, quod ad defendendum honorem et res suas potius debeat admitti, quam taliter vinci per actorem etc.“ Super quo est responsum: „Ex quo testes, qui continentur in littera domini de Lecz, non sunt presentes ad firmandum probationem et testificationem ipsorum sacramento, in quo presentia ipsorum personalis est plurimum oportuna, nec littera scripta est sub sigillo alicuius nominate civitatis, ubi coram iuratis sub sacramento fidem ipsorum deponerent et debitum tale probarent, ideo littera nulla est, nisi aliud fuerit notabile documentum. Unde Clemens potest se potius defendere quam vinci tali testimonio, quod non continet probatam sacramento fidem.“

23.¹⁾ Si filius aut filia alicuius religionem intraverit et professus fuerit, post mortem parentum de bonis eorum nichil habebit, nisi sicut alii pauperes Iesu christi. Deo Gratias.

(Darauf folgen Sätze des römischen Rechts, Privilegien der böhmischen Könige²⁾; nach dem Register die Fälle 24/27).

24.³⁾ et eruitione oculi de duobus^{oo} puteum extruentibus. „Viris, quorum prudentia clarissimis fulget consiliis, pronitate continue prevoluta; utpote viator gradimens per avia viarum gliscit rectitudinem attingere, sic ignorantie velo circumducti, ad vestre fontem prudentie pro consilio cursitamus, prudentes viri et vicini carissimi: Duobus vicinis nostris altum extruentibus puteum, unus eorum, casu infortuito, cepit ad ima putei facere precipitium. Alter vero nitens cadenti succurrere manum post eum dirigit festinatim, factoque raptu oculum sibi casualiter eruit, ac tamen cadentem de periculo precipitii liberavit. Tandem exoculatus, immemor accepti beneficii, productum^{pp} iuvantem coram nostro convenit iudicio de eruitione oculi graviter accusando. Quapropter vestram prudentiam consulendam accurrimus rogitantes, quatenus sub forma iuris nobis velitis declarare, an prefatus iuvans teneatur satisfacere leso de privatione organi supradicti, an ratione beneficii sibi facti, per quod maius evasit periculum, debeat ab ipso liber esse totaliter et solutus. Pro quo vobis satagentes pronius .^{qq} Datum annorum etc.“

ⁿⁿ) Ausgelassene Überschrift, Raum dafür ausgepart.

^{oo}) Hs. Zahlzeichen. ^{pp}) Wohl praedictum gemeint, wie weiter unten praefatus iuvans, aber productum nicht sinnlos. ^{qq}) Das folgende Wort nicht zu entziffern, scheint fatari zu heißen multa loqui, fatare Du Cange.

¹⁾ S. o. S. 481.

²⁾ S. o. S. 431 Anm.

³⁾ S. o. S. 466, knüpft an den Verweis unter Fall 21 an, die Wiederholung hier überflüssig.